# Preces Matutinæ.

Manè excitatus à somno ocyùs sese de Lecto proripiat
et facto Signo Crucis in genua provolutus versus Ecclesiam,
adorans Salutet primò SS: Trinitatem dicendo:
gloria Patri &. Dein Augustissimũ suum Redemptorẽ
in SS: Sacramento, dicendo: Ave verum corpus natum &.
Deniqꝫ B: V: Mariam dicendo angelicam Salutationem,
scil: Ave Maria &. et hanc brevem oratiunculam:
Ô Domina et Mater mea S: Maria, ad Contestandam
Fidelitatem meam, et quòd ad te pertineam, dono tibi
pro semper oculos, os, aures, Linguam, et Cor meum, imò
meipsum totum: tuus sum defende ergò quòd tuum est,
Ô Clemens, Ô pia, Ô dulcis virgo Maria, Amen.
Deinde surgat et aqua Benedicta aspersus citò se mode-
-stissimè suis vestibus induat, et elicitis raptim actibus
Fidei, Spei, et Charitatis sub induendo recitet preces se-
-quentes:

Omnipotens Sempiterne Deus, quem in Augusti-
-ssimo Eucharistiæ Sacramento verè cum divinitate et
humanitate, et ubiqꝫ per suam immensitatem adesse ag-
-nosco, et sanctè veneror, scio à te me esse creatum, ut te
solum reverear Laudem et amem. Ideoqꝫ gratias tibi
ago pro gratia creationis redemptionis, vocationis ad
Baptismũ, Catholicam Religionem, Sacrum ordinem,
hunc Locum, (et Regale Sacerdotium) ac quod ad hunc
usqꝫ diem me volueris clementissimè Conservare ad devotũ
tibi præstandum servitiũ. Proinde Pater mi clementissime
ac Domine me totũ tibi amore tui in odorem suavitatis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII60/0642
gefördert durch Baden-Württemberg